

V 9
53 59





191.
191.

20

Vg
5359

14.

De
Sincero sinceræ doctrinæ Doctore,
MARTINO LUTHERO
electissimo DEI organo & imper-
territo Confessore,

*quem nec savissima terruerunt mina, nec precio-
sissima corruperunt dona;*

Sub Moderamine

JO. FRID. SCHARFII, PH. & J. U. D.

Differtabit publicè

AUTOR

Ex Genealogia Lutheri descendens

JO. CHRISTOPHORUS LUTHERUS,

Gorl. Luf. SS. Th. Stud. ac P. L. C.

*In Aroaterio majore, & ipsâ adeò B. LUTHERI Cathedrâ,
a. d. XIIIX. Februarii, qui Concordia sacer,
Luthero verò emortualis.*

WITTEBERGÆ,
Literis MARTINI SCHULTZII,
ANNO clc lcc xxcvi.

25.





LECTURIS.
S. P. D.
JOH. FRIDER. SCHARFIUS, D.

*** **
*Quum. laude. & Memoria. bona.
prosequi. Defunctos.
Ratio. atque. Sapientia. Provent;
Mea. quidem. sententia.
Bonum. factum.*

*Immo.
Insigne. Pietatis. est. Documentum.*

Quando.
MEMORIAM.

DIVI.
MARTINI. LUTHERI
VIR-JUVENIS.

Clarissimus. mihiqve. Carissimus.
Johannes. Christophorus. Lutherus.
SANCTÆ. THEOLOGIÆ. CULTOR. INDEFESSUS.

Nec. non.
NOBILIS. CORONATUS. POËTA
A. Pietate. Modestia. atque. Eruditione.

Commentatus sumus.
DISSERTATIONE. HISTORICA.
(Sine. affectu. & ambitu. dicam.)

Bona. ac. Docta.

Celebravit.

Quo. I.

(Fatemur.)

Adeo. pensi. habuimus.

Ut.

In. Atrio. Majore.

Ad. diem. XIIX. Februar. Concordia. Sacrum.

Horas. Antemeridianas.

Cum. MAGNO. DEO. Volente.

Doctorem. Cavea. publice. sistendum.

Omnino. arbitraremur.

Quorum. igitur. commodo. fieri. potest.

Eos. omnes.

Auditum. benevole. Discursum.

Enixe. & Humanissime.

Advoco.

Nullus. plane. dubitans.

Quin. hoc. daturi. sint.

Et.

Beatissimis. manibus.

Summi. Herois.

MARTINI, LUTHERI.

ASSETORIS. DOCTRINÆ. NOSTRÆ. PURIORIS.

CONSTANTISSIMI.

Herculis. ad. Heresum. stabulum. repurgandum.

Inviæti. Cœloque. demissi.

Cujus. merita. & virtutes. supra.

Omnem. commendationis. Aleam.

Longe. assurgunt.

Et.

VIRI-JUVENIS. optimi. Conatibus.

Animo. Recogitantes. Retractantesque. suo.

Juventutem. Favore. ac Plausu.

Ad. Eruditionis. & Virtutum. imitamenta.

Cum. tempore. fidem. rei. factura.

Instigandam. esse.

Sicut. enim. Arborea. Fecundantur. Aura.

Quæ. novo. vere. spirat.

Ita. heic. est.

Mirum. quantum. Benevolentie. illi. venti.

Animos. Provehant & Producant.

Cujus. voti. si. uterque. damnabimur.

Erit. de. quo. nobis. Abundantissime. Gratulemur.

Adeste. igitur. frequentes.

Et.

Auribus. Linguis. Animis.

FAVETE!

Wo ist ein Edler Blut aus Japhets Blut entsprossen/
Als Grosser Luther du / du theurer Gottes-
Mann/
Dieweil des Himmels-Geist / so über dich gegossen /
An dir ein Wunderwerck der Erden dargethan.
Es zitterte der Pabst / der falsche Peters Erbe /
Da ihm dein Federkiel die dreygetürmte Krohn
Auf eine Seite schob : Sein Ablass und Gewerbe
Bekam mit Tetzels-Krahm den umbgestosnen Lohn.
Du schicktest ihm zu Trost nicht weit von unsrer Elbe
Die heiliglose Bull / Decret und Alcoran
Durch Feuer in die Luft : und fastest auff dasselbe
Das Türck- und Judenthum in ihren Greuel an.
Als Kaiser Carol dich auf sein Geleit verschrieben :
Ward dein beherzter Muth noch kühner auffgeweckt :
Du wärest dieses mahl von Worms nicht weggeblieben :
Wann schon die Tächer dort mit Teuffeln überdeckt.
Da / da bekantest du die wahre Glaubens Lehre :
Es stund das ganze Reich / ja fast die ganze Welt
Nicht anders als entzückt / daß du vor Gottes Ehre
Dich klein vermeinten Mann zu fechten dargestellt.
Doch fiel der Sieg auf dich / den wir noch täglich lesen :
Es gieng die Christenheit aus Babilonscher Noth.
Wie da dein Leben schon dem Pabst ein Giffte gewesen :
So ward dein sanffter Tod ihm nachmahls gar ein Tod.
Nun hast du dort zu Lohn die Sternen- Krohn gefunden /
Allhier den Lorber-Kranz / den keine Zeit verlegt :
Schau wie ein junger Zweig von dir sein Laub gewunden
Und durch gelehrte Schrift auf deine Gruffte gesetzt.
Wohlan / uns mag der Pabst und Teufel widerstreben :
Wir fechten noch vor Gott und Luthers Lehr allein :
Und



Vetus religio est, natales non modò virorum ingentium colere, sed obitus quoq; venerabiliter recordari. Id ipsum & nos observaturi instante hac XII. Kalend. Martii die, qui in antiqva rerum Romanarum historia Festorum solennitate & aliquot Triumphis est nobilitatus; de quibus nunc quidem ut dicamus explicatius, instituti ratio non permittit. Sufficiat nobis, obiter mentionem rerum istarum iniecisse, & hac ratione quemvis excitasse, ut quotidie veteris alicujus historiae, quæ vel delectet, vel informet, recordetur. Nostrum sanè Majorum memorià diem, quo de mentio facta, celebrem fecit in Ecclesia nostra B. MARTINUS LUTHERUS, Germaniæ nostræ Propheta, Ecclesiarum sinceriorum Evangelista, hujus Academiae (quæ non Saxoniam duntaxat, sed totius Orbis illustre miraculum est) Parens ac Præceptor: qui annis abhinc CXL. Islebiæ, quæ ejus natale solum, modò dicta Mensis die, facillimum beatissimumq; vitæ sortitus est exitum, h. e. de Antichristo & filio isto perditionis abs se, per Spiritus S. operam devicto, gloriosissimè triumphavit, & titulum illum omni jure sibi debitum in Christiana Republica invenit: *Pestis eram vivus, moriens tua mors ero Papa.* Historiæ docent, ab U. C. ad Vespasianum & Titum Imperatores, devictis debellatisq; nationibus ab ultimo Orbe, Romanos in exemplar omnium magnarum virtutum natos per tot secula, viginti supra trecentos egisse triumphos. Sed quid omnes isti triumphos, si cum hoc Lutheri componantur? quid nationes & populos ab extremo terrarum orbe à Romanis devictos memorabimus? Lutherus eum devicit, *ante CXL annos A. 1517. qui*

qui teste Spiritu Sancto totum mundum seduxit. Mundum autem qui seduxit? immo eum, qui est superextollens ac efferens semetipsum super omne Numen: adeo ut in templo DEI sederit, præ se ferens se esse Deum. In hujus ergo Lutheri cogitatione cum animus noster perpetuus esse debeat, nemo bonus, quod spero, nobis vertet vitio aut ostentationi, si pietatem nostram erga tantum Virum præsentis Dissertatione testatam iremus.

Ut memores simus Vatum qui cœlica verba

Defensum iuverunt, dogmata sacra monent.

Audiamus ipsius Spiritus Sancti monitum: Μνησθευε τῶν ἡγασμένων ὑμῶν, recordamini Antecessorum vestrorum, qui vobis viam vitæ æternæ monstrarunt, Ebr. XIII, 7. Et hæc recordatio imprimis debetur Lutheri, qui non modò vitam & spiritum, omnesq; nostros affectus, virtute ac sapientiâ suâ à perniciæ atq; interitu, fractâ propulsatâque eorum vi ac neqvitiâ, qui impetebant, vindicavit; sed & mentes animosqve nostros ab ignorantia, à superstitione ac impietate liberavit, & patefactâ veritate monstravit viam, quâ ad æternam salutem & felicitatem, promissam fidelibus à Servatore optimo, per ejus vestigia ire liceat. Nam talem tacere atqve negligere quid esset aliud, quàm conculcare maxima beneficia Numinis atq; projicere? sine quo neque nasci magna aliqua virtus, neque exerere se, & benè mereri de publico potest. Quantis demersa tenebris ante Lutherum cœlestis latuerit veritas; quâ superstitione corrupta ac depravata omnis divini cultus religionisq; fuerit raris; nemo ignorat. Quæ repurgata ita cum sint atqve asserata illius opera non sine divino munere, ut integritatem pristinam ac sinceritatem præ se ferant; cæterum ab eo omnino salutis & felicitatis ultimæ spes unicè pendeat; rem pietate nostrâ haud indignam faciemus, si diem hodiernum, quo ante, CXL annos divinus Heros vitâ decessit, festum solen-

solennemq; celebremus; nuncupaturi vota ac preces DEO
immortali, ut quæ illius Viri ministerio summa in nos atque
immensa beneficia contulit, totque annis ab obitu ejus in-
temerata & incorrupta præstitit, durare deinceps quoque
ac propria nobis atque perpetua esse sinat. Tu autem, O
CHRISTE JESU, Doctor ac Ductor noster optime, ad sis co-
natibus nostris, ut dum B. Lutheri vestigia legere maximaq;
tua beneficia per tantum Virum præstita debitis laudibus
prædicare studemus, omnia nobis succedant FELICITER!

*MARTINUS LUTHERUS, cujus ministerio DEUS O. M.
Evangelii puritatem restituit, natus est Islebia, Anno
MDCCCXXIII.*

Patria igitur Lutheri Islebia est, Comitatus Mansfeldici oppi-
dum, metallis celebre ac de cætero quoque Annalibus præcis
passim memoratum. Nascentem eum excepit die X. Novem-
bris, horâ noctis undecimâ, anno quem diximus MD-
CCCCLXXXIII. Tempus hoc ab ejusdem discipulis comprehensum
olim est sequenti Disticho:

*NatVses IslebII DIVIne Propheta LVthere,
ReLLigIo fVLget, Te DVce, Papa IaCet.*

*Patrem habuit Johannem Lutherum, fossorem metallicum, &
civem bonum, qui postea, mutatis sedibus, Mansfeldii Ma-
gistratum gessit: Matrem Margaritam Zieglerin, pientissi-
mam & absolutissimi exempli fæminam.*

His natus Parentibus Noster, illicò in sacramentum adactus
est, & fidem Salvatori suo solemniter dedit, altero à nativitate die.
Qui cum MARTINI, Ecclesiæ Turonensis in Gallia olim Episcopi,
memoriæ sacer esset, Nostro etiam nomen tale dedit, nec sine omine
profectò.

*Educatu in Parentum sinu, Martinus noster Lutherus adolevit felici-
ter,*

ter, pietate erga DEUM imprimis, obsequioq; ac veneratione in
Parentes conspicuus.

Adsvfecerunt enim Nostrum institutione domesticâ Parentes, ad
cognitionem & timorem DEI, aliarumque virtutum officia, & ut li-
teras disceret, curaverunt sedulo. Traditus igitur literis, celerrimo
profectu per insvavia illa studii severioris rudimenta, & molestos
scholarum inferiorum pulveres, ad majora exsurrexit: quæ prima
gaudiorum Parentibus seges, & non vulgaris spei coorta occasio est.

4.
*Studii porro consecratus Noster in juventute ita eminuit, ut omnibus
admirationi esset inusitati ipsius ingenii altitudo & ad fastigium eter-
ni ac immortalis nominis properans sapientiæ amor.*

Agebat jam tertium & decimum annum, cum jussu arbitrioque
Parentum, Magdeburgum concessit; ubi tamen vix unicum, in con-
tinuandis studiis, consumsit annum: nam vi ingenii acerrimâ multum
pollens, & jam idoneus, qui Eloquentiam, in quam natura sua & quodâ
genii instinctu ferebatur, accuratiùs aliquantò excoleret; missus est à
Parentibus Isenacum, ibiq; commoratus aliquandiu, mirum est, ut divitiis
orationis & verborum copia abundaverit; non in soluto solum sermone,
sed & in versibus æquales omnes superans longè, & ita instituens ra-
tiones suas, ut nec industriâ, nec probitate vitæ cuiquam alii cederet.
Fundamentis igitur probe jactis, facile quidvis superstruere poterat,
moxque in Academiæ lucem pariter & exercitationis firmioris palæ-
stram progressus, primùm omnium Erfordiam adiit, nobilissimum
Artium ingenuarum isto tempore Emporium. Hic in Dialectica i-
nitio fuit occupatus, quam avidè etiam, summoque studio integram
ita addidicit, ut sagacitate ingenii multis postmodum aliis facile præ-
valeret. Versatus simul fuit in aliis Artibus ingenuis, literisque La-
tinis juxta ac Græcis, quin & Ebræis, quarum eruditissima monu-
menta, tum abstrusa insuper, & latentia ferè, dies noctesque volve-
bat terebatque, optima quæque & præstantissima decerpens indè at-
que ediscens.

5.
*Anno ætatis vicesimo, cum jam maturus esset honoribus, Martinus no-
ster summum in Philosophia gradum, quem Magisterii vocare sole-
mus, Erfordie solemniter & maximò omnium adplausu, consecutus est.*

Ap-

Apparebat tùm porrò mirandum & omnis scientiæ capax ingeni-
um ejus, ut nihil tam arduo positum esset loco, quo non generosus
hic animus cupidè anhelaret atque evaderet. Audiebant docti pa-
riter & indocti divinam in eo facundiæ copiam: tantâ enī animi
contentione in studio dicendi defudarat, ut eloquentia ejus audita,
crederes utique, eum nihil aliud per omnem vitam, quàm hoc, egisse.
In universum verò variæ possessione sapientiæ pectus instructissimum
gerebat. Tanta suavitas tantaque sermonis illius gravitas, ut nemo
ab illo, nisi cum admiratione recederet. Accesserunt ad hæc summa
ornamenta & dona, virtutes aliæ, communes illæ quidem cum piis
multis, sed eximiè tamen prædicandæ: *Temperantia, Despicientiæ re-
rum externarum, divitiarum, honorum, voluptatum &c.* Non Stoicus
fuit, sed verè humanus erga omnes piè recteque sentientes: adversus
Sophistas autem & pertinaces, durus atque acer. Hinc communica-
tis consiliis in eam præcipuè curam incubuerunt Agnati, ut luce Rei-
publicæ victurus olim MARTINUS, Jurisperitiâ maximè imbueretur.

6.

*Anno ætatis vicesimo primo MARTINUS LUTHERUS, sponte
vitam Monasticam Erfordiæ ingressus, & in Collegium, quod ibi erat
Augustinianum, receptus est, sub finem anni Christi 1515.*

Transmutatus igitur Noster in Monachum, relicto Juris atque Le-
gum studio, sacra tractare & Theologiæ operam navare cepit, legit-
que quotidie ferè Augustini Libros, in quibus egregias & perspicuas
reperit sententias, quæ confirmârunt doctrinam de fide in ipsius pe-
ctore accensam. Diligenter quoque Occami, Gersonis aliorumque
scripta evolvit. Sed Augustini imprimis monumenta acerrimo stu-
dio familiaria sibi reddidit omnia. In disputationibus publicis laby-
rinthos aliis inextricabiles, disertè multis admirantibus explicavit;
attamen quia in eo vitæ genere, non famam ingenii, sed alimenta pie-
tatis quæsit, mox post suum ingressum à superioribus Biblia Latina
petiit, petita accepit, accepta serio studio perlegit, mentem suam de
voluntate DEI erudivit, timorem Domini firmis testimoniis aluit, si-
cut & fidem, animumque suum uberrimo perfudit gaudio; retinuit
etiam Sacra Biblia donec initiatus esset Presbyterio, tum enim Fra-

res Augustinenses rursus ipsi pretiosissimum hunc ademerunt the-
saurum.

7.
*Ordines sacros MARTINUS LUTHERUS, ubi per aetatem licuit, de
Superiorum consilio suscepit, & ab infimis usque progressus Anno
Christi cl. l. VII, aetatis suae XXIV, Sacerdotio fuit initiatus.*

Ordinationem suam Martinus noster accepit ab Hieronymo, E-
piscopo Brandenburgico, qui ad decretum Patrum Augustinianorum
lacris ipsum initiavit, uti literæ invitatoriæ ad Johannem Braun, Vi-
carium Ifennacensem, X. Kal. Maji illius anni ex Cœnobio Erfor-
diensi scriptæ, testantur.

8.
*Anno cl. l. IIX. Martinus Lutherus, cum jam ageret annum aetatis
suae vicesimum sextum, ex Erfordensi Monasterio traductus fuit in
Academiam hanc Wittebergensem a Johanne Staupitio, Monaste-
riorum Augustinensium in Misnia atq; Thuringia Vicario G. nerali.*

Egerat Erfordia hætenus, per annos quatuor, in Augustini ordine
& Monachorum cœtu. Cum vero Elector FRIDERICUS III. co-
gnomine SAPIENS, hic Wittebergæ, anno MDII. operâ D. Jo. Stau-
pitii, Academiam excitasset, Staupitius autem Martini Lutheri in re
Theologicâ eruditionem cognovisset, illum anno MDVIII. Witte-
bergam, jussu Electoris, ad Professionem Theologicam evocavit, ubi
cùm summa statim ornamenta & dona plane divina in illo elucerent,
ita ut propter acrimoniam judicii, insigniter à primo Academiæ Re-
ctore, D. Martino Pollichio Mellerstadio, Studiosis fuerit commen-
datus: ipse modò laudatus Princeps, ingenio Lutheri explorato,
dignum ipsum docendi officio vel maximè judicavit. Tum tem-
poris ipsi provincia explicandarum Epistolarum Pauli demandaba-
tur, quam lubens etiam in se suscepit; in explicatione autem erro-
res de bonis operibus & externâ sanctitate, dexterrimè refutavit, ex
Scriptura sacra, ceu legitima Normâ, meritum Christi, pro peccato-
rum expiatione unicè sufficere, luculenter ac solide demonstrans.

9.
*Eodem anno Martinus Lutherus, cum ipsi demandata esset Professio A-
cade-*

*cademica, ab Amplissimo Wittebergensium Senatu ad munus publice
in Ecclesia docendi vocatus est.*

Et hoc quoque officio ita defunctus est dexterrimè, ut inter crebra
Concionum exercitia magis magisque ingenium ejus elucesceret.
Quemadmodum enim in Lectionibus Disputationibusq; suis Schola-
sticis ingeniosus fuit atque promptus, ita & in Concionibus felix. Vi-
vebat Lutheri oratio, fluebatq; ac secum rapiebat Auditores, solidis re-
ferta argumentis, in quibus inveniendis acutus, tractandis item egre-
gium præbebat artificem, cum & eruditione excellenti, & felici me-
moria, singularique ac facili vernaculæ linguæ eloquentiâ præditus
esset; penetrabant ejus dicta ad Auditorum corda, eaque afficiebant
intimè. Unde sapissimè Mellerstadius dixit: Tantam esse ingenii
vim in Luthero, ut præfagiret maximè, mutaturum esse vulgare do-
ctrinæ genus, quod tunc in Scholis pariter & Ecclesiis fuit traditum.

IO.

*Anno cl. l. IX. cum perniciosum admodum dissidium inter religiosos Au-
gustiniani ordinis exarsisset, adeo, ut septem Monasteria s. Conven-
tus contra Ordinis Vicarium per Germaniam Generalem conspirâ-
rent, ablegatus fuit Martinus Lutherus Romam, ut Controversias
componendas curaret.*

Dum noster isthic hæsit, circuivit per Ecclesias, & omnia fermè
claustra visitavit. Ubi autem majorem quærebat fidei sinceritatem,
sanctioremque precum attentionem; ibi simulationes, perversitates,
temeritates &c. non sine ingenti animi dolore deprehendebat; un-
de postea ad D. Georgium Spalatinum & alios dixit: *Se iter illud Ro-
manum carius sibi ducere integrâ donnâ auri.* Dissidium verò inter Au-
gustinianorum Collegia, eorundemq; Vicarium Generalem feliciter
composuit, & ab illo tempore, postpositis auctoritatibus humanis,
propria in conscientia religionis seculi istius momenta juxta nor-
mam verbi divini examinare paulatim paulatimque cepit de anno in
annum accuratiùs. Nec deerant quàm plurima, quæ pectus ipsius
amore DEI zeloque purissimo flagrans plus excitarent.

II.

*Anno cl. l. XII. MARTINUS LUTHERUS in hac alma Leucovea, jussu
sumptibus Gloriosissimi Electoris FRIDERICI III. ipso Doctoris gra-
duso-*

*du solemniter ornabatur per Decanum, D. Andream Bodenstein Caro-
lostadium.*

Acquisita hæc gradûs dignitas immensum ipsi ad majores cona-
tus addebat calcar, indeqve nomen ejus ac fama in dies magis ma-
gisqve crevit. Licentiatus autem Theologiæ pronuntiatus est die
IV. Octobris anno Christi c1515 XII. ætatis suæ XXX. & publica
auctoritate, pro more omnium Academiæ, Doctor quoque
creatus die XIX. ejusdem mensis & anni, in Ecclesia omnium San-
ctorum, quæ hodie Templum Arcis & Academicum dicitur.

12.

*Anno c1516 XVI. commendabatur Martino Luthero Vicariatus & Visi-
tatio Cœnobiorum, cum pro more istius temporis D. Staupitius, Gene-
ralis Augustinianorum, ab Elect. FRIDERICO III. in Belgium mit-
teretur ad advehendas quasdam Sanctorum reliquias.*

In quo officio Lutherus præter consuetudinem illius temporis cun-
ctis Bibliorum lectionem unicè commendavit, simulq; magnam mo-
rum deformitatem ubiqve Cœnobiorum reformavit, præsertim per
Thuringiam. Deinde Disputationem contra Papatum instituit, quod
homines legi DEI satisfacere & vitam æternam mereri non possint.
De qua etiam scripsit ad Gregorium Spenlein, Augustinianum Eremi-
tam in Conventu Memmingensi pluribus, iisque omnibus adversus
doctrinam tum temporis in Ecclesia sonantem directis. Agitavit
porrò eandem doctrinam in prælectionibus suis sacris, ut testatur E-
pistola ad Johannem Langium, Priorem Erfordensem missa die 26.
Octobr. anno c1516 XVI. Et posthabitis Scholasticis, se totum de-
nique convertit ad inculcandum Paulum atqve Psalterium, ediditq;
eodem anno duos Commentarios, nimirum Theologiam Germani-
cam, & Homilias Tauleri, in quibus multa continentur Papatui con-
traria, præcipuè in fundamentali articulo *de justificatione*. Cum verò
Martinus noster in saluberrimo hoc laborum concursu promovendo
occupatus esset, videbat singulis Festis totius anni, & præsertim in
festivitate O. O. Sanctorum discurrentes homines miseros circa tem-
plum Arcis ad captandas tantum indulgentias; ægerrimè ferebat,
quod eos ex verbo DEI nemo instituebat de vera poenitentiâ, ne-
mo ex Evangelio consolabatur; audiebat magno numero ad in-
dulgentiarum præconem Johannem Tezelium cives Wittebergen-
ses

ses in vicinas urbes, Servestam & Jütrebogum excurrere; audiebat Tezelium non tantum contra Sacram Scripturam, sed etiam contra ipsa Pontificum decreta magnis hyperbolis exaltare indulgentias. Erat in Luthero Spiritus S. qui non patiebatur pectus candidissimum diutius connivere, solus igitur zelum Domini celabat, & jactâ aleâ in nomine JESU CHRISTI & scripturæ & veterum Canonum auctoritatem vindicaturus, tantummodò ab usum indulgentiarum corrigere animatus erat, longius & ad alia progredi in animo non habebat; sed Domino cœli & terræ longè aliud fuisse propositum, certissimus eventus tandem luculentissimè testatum fecit.

13.

Anno 1517. pridie Kal. IXbr. MARTINUS LUTHERUS Theses quasdam contra indulgentias edidit, easq; publicè affixit foribus templi omnium Sanctorum, quod Arci Electorali contiguum est, provocans ad disputandum omnes, qui secum vellent in hanc descendere arenam, pro more Academiarum.

Aderat nimirum jam faustum Reformationis tempus, cui operi interesse ipse Deus contestatus est. Eodem enim annò, quò Lutheri Theses primùm prodissent in lucem, tribus Saxonix Principibus, FRIDERICO, JOHANNI & JOHANNI FRIDERICO, media nocte, in Festo Nativitatis Christi, Vinariæ crucem sanguinei coloris lucidissimam, in sudo & sereno cœlo conspiciendam, tanquam tesseram Evangelii à sordibus Pontificiis repurgandi, exhibuit; Romam autem eo die, quo Leo XXXI. Cardinales creabat, & multa aureorum millia ab iis corradebat, tanto impetu concussit, ut ingenti fulminis & tonitruum tempestate templum, in quo sacra peragebantur, feriret, & sculptus puerulus è gremio effictæ Mariæ Virginis, clavesq; è manibus Petri exciderent. Quod sanè omen multi Romanorum, portendere ruinam sedis Romanæ, interpretabantur. Scriptores quidem Pontificii, Antonius Genebrardus & Johannes Cochläus, posteritati persuadere conantur, Lutherum ex privatis affectibus incœpisse Reformationem suam, hoc est, audent referre, Lutherum ipsum, Augustinianum antea cum aliis Augustinianis probè fuisse versatum in prædicandis Indulgentiis, adeoq; tunc ægerrimè tulisse, quod fuisset nunc præteritus à Commissario Papali, & quod ad illas prædicationes, se præterito, electus fuisset Tezelius, tandemq; irritatiorem mente immutatâ non pro indulgentiis, sed directè con-

B

tra

tra Indulgentias disputare cœpisse. Verum enim verò ex Disputatione, quam de *Viribus & Voluntate Hominis sine gratia*, anno clō Iō XVI. Lutherus habuit, & ex ejusdem Epistolis ad Georgium Spenlein & Johannem Langum missis, liqvīdissimè constat, Lutherum sesquiano ante Tezelii blasphemias, de Remissione peccatorum gratuita absq; operibus speranda seriò diuq; cogitasse ac constituisse. Ipse quoq; Lutherus in libro contra Hans Wurff, titulo: *Vom Lutherischen Lerm*, in specie ostendit, ante Tezelium se Wittebergæ in templo Arcis coram FRIDERICO III. reliquiarum sanctarum amantissimo & admodum avido, sermocinatum fuisse adversus indulgentias, adeoq; ut Principi conciones illæ plurimùm displicuerint. Contemnuntur igitur meritò omnes contrariæ meditationes, & ita firmiter hoc manet, Lutherum annis aliquot ante Tezelium, non nisi divino spiritu excitatum, seriò requisivisse veram viam ad salutem, tandemq; Tezelianis blasphemias iterum irritatum Propositiones suas primas adversus easdem, in suo Cœnobio Augustiniano (ubi nunc Communis Mensa pro Studiosis apparatus) conscripsisse, & inter horam duodecimam & primam pomeridianam in vigilia O. O. Sanctorum ad valvas Templi Arcis misisse & affixisse, quando peropportuna alia ipso illo anno clō Iō XVII. Luthero afferebatur occasio. Tunc enim in Templo Arcis encœnia celebrabantur in magno populorū concursu, qui non tantum reliquias sanctorum visitabant, quas magnis sumptibus comparaverant Duces & Electores Saxonici, sed quia Pontifices aliquot Romani atqve Episcopi magnas indulgentias ejus rei gratia templum Arcis visitantibus concesserant. Dederat etiam Bonifacius IX. indulgentias septem annorum cum totidem quadragenis ad montem *Waldingsberg* in quo monte, quem Studiosi nunc vocant *Apollinis*, (*Apollens-Berg*) fuit Capella, quam univit cum Ecclesia O. O. Sanctorum.

14.

Anno clō Iō XIX. MARTINUS LUTHERUS salvo Imperatoris MAXIMILIANI conductu munitus, Augustam Vindelicorum venit, cum Legato Pontificis Cajetano collocuturus.

Dissvadebant Amici sui iter hoc Augustanum propter præsentissima pericula, quæ tamen nihil quicquam reformidavit Lutherus, sed, cum vocatus sit ad dicendas rationes, Augustam abiit, ajens: *ingrediar Augustam,*

Augustam et si 400. capita haberem, & certò scirem, quod ibi omnia ista capita
amittere deberem. Dicto enim anno MAXIMILIANUS Imperator
Augustæ Vindelicorum conventum Imperii agebat, quo Papa à Cæ-
sare admonitus de Lutherano schismate sopiendo Legatum misit
Cardinalem Cajetanum, cui per literas seriò mandavit LEO X. ut
quovocumque modo conquirat ac in suam potestatem redigat Lutherum,
subq; fideli custodia eum retineat. Ingressus autem est Lutherus
noster Augustam intrepidè, ac inter turbas Pontificias, aliasq; con-
fertim congregatas, præter omnem spem ipsorum omnium Papista-
rum cordatissimè venit ad Cardinalem: qui statim à Luthero popo-
scit, ut assertiones suas de Indulgentiis revocaret, ab iis docendis
abstineret, nec in posterum à probatis in Ecclesia dogmatibus alie-
num quidquam divulgaret. Lutherus verò gravissima Oratione in-
nocentiam suam demonstravit, protestans se nunquam ab Ecclesiæ
unitate discessurum, nullius rei malè à se dictæ aut scriptæ sibi con-
scium esse, nec se posse doctrinam suam, erroris instar, cujus non-
dum sit convictus, revocare. Cum Apologia ista rejecta Cardinalis
Palinodiam imperaret Luthero, respondit, nihil à se dictum, quod
sacris literis, Ecclesiæ Patribus, aut rectæ rationi adversaretur, paratum
tamen se esse ad proposita capita scripto respondere, quod & sequenti
die præstitit. Sed Cajetanus cogitabat Lutherum Augustæ captivum
detinere, quâ de re certissimus ab Amicis redditus, etsi vix persuaderi
potuit, attamen in gratiam Ecclesiæ noctu per angustam eductus
portulam, vix Tyrannicas manus potuit effugere. Hâc Lutheri eva-
sione ad insaniam propemodum redactus fuit Cardinalis, ideoq; su-
bitò ab Electore Saxonico petiit, ut honori ac conscientiæ suæ con-
suleret, & Lutherum vel ad Urbem, ad Papam, mitteret, vel extra ter-
ras suas eum ejiceret. Lutherus hisce minis ad Electorem perscri-
ptis commovebatur plurimum, & hinc inde consultabat, ne sui causâ
Electorus aut Electoralis profapia in periculum incideret; nullum
autem aliud inveniebat consilium, nisi hoc, quod & executioni da-
re constituebat: discessum nempe ex toto hoc Electoratu parabat,
incertus quònam Deus ipsum esset ducturus, interrogatusq; ubinam
tutus manere posset? sub cœlo, respondebat. Deus verò animum
Principis ad ipsum inclinavit, ut Lutheri nutritius esset atq; custos.

15.

Eodem anno, cum Romæ agerentur consilia de Luthero perdendo ejus-

B 2

que

que dissipandis sociis, MARTINUS LUTHERUS Spiritu Sancto impulsus, inusitatam planè rationem invenit ad infringendam suspectamq; reddendam Papæ autoritatem.

Publicam enim Appellationem coràm Notario ac Testibus scripsit, eamqve die XXIX. Novembr. promulgavit, quâ à tam iniquo iudice, Papa, ad Concilium liberum, Christianum, proximè futurum, appellat, docetq; contra consuetudinem hæctenus observari solitam: *Concilium esse supra Papam, non verò Papam esse supra Concilium*: cum liberalissimâ annexâ pollicitatione, se coram tali Concilio doctrinam suam ex verbo Dei firmissimè probaturum. Hanc Appellationem, hancq; rem inauditam quando vidit mundus, ibi in oculis ejus parvus esse cœpit Papa, ibiq; inter Laicos, Principes & alios omnis sermo, omneq; de Ecclesia per Concilium reformandâ desiderium. Notorii namq; erant Paparum & Clericorum avarissimi ac impudicissimi mores; ibi & inde Luthero nostro respiratio, requies & diuturnior Wittebergæ commoratio, libertasq; disputandi ac docendi exoptatissima affulsit. Quoties inde Pontificius Legatus ab Electore FRIDERICO petiit Romam mitti Lutherum, ipse respondit, in Germania, loco quodam à periculis immuni, Iudices Luthero constituendos esse viros doctos, nullò occupatos præjudiciò, qui causam hanc cognoscant; quod si reus inveniatur, se quidem Christiani Principis officio non defuturum.

16.

Anno dñi 1519. MARTINUS LUTHERUS WORMATIAM venit, suæ confessionis sinceritatem publicè ibidem defensurus, verum, de nudò à Cæsare proscribitur, quam ob causam etiam Elector FRIDERICUS eum in arcem Wartenburgum, propè Isenacum sitam, & remotiorem paulò ab usu hominum, abducendum curavit.

Instituebantur WORMATIÆ ab Imperatore CAROLO V. prima sua Comitia, ad quæ Status Imperii tanto numero convenerunt, quanto majore reverentia novum Cæsarem sibi devincire gestiebant cuncti. Huc etiam misit Pontifex Legatum suum, nuncium Apostolicum, Hieronymum Aleandrum, qui cœpit Lutherum plerisq; orationibus in frequentissimo Principum, Prælatorum & Statuum Imperii confessu gravissimè accusare hæreseos, seditionis, rebellionis, blasphemæ

phemia; in ipsis vix inchoatis Comitibus, publicè & palàm, affixis li-
teris damnantur LUTHERI libri, itidem ad ejus pectus deterren-
dum. Evocatus quoque ad hæc Comitibus per literas & saluum Impe-
ratoris conductum itineri sese tradit LUTHERUS, venitq; Oppen-
heimium, ubi ei occurrit Bucerus à Moguntino subornatus, ingres-
sum propter instantium periculorum magnitudinem dissuadens;
huic LUTHERUS respondit: *sibi vocato certum & decretum esse in-
gredi Wormatiam in nomine Domini JESU CHRISTI, etiamsi sciret tot
Diabolos oppositos, quot sunt regule in omnibus totius urbis relictis.* LU-
THERI comites ad Comitibus Wormacensia fuerunt D. Justus Jonas &
L. Nicolaus de Amsdorf, Theologi, nec non D. Hieronymus Schur-
fius, Ictus. Admiranda hîc est *καρδιάρχια* Regis CHRISTI in medio
inimicorum LUTHERI efficax & dominatrix, atq; ejus, quam pro-
fessus est, doctrinæ patrona, quæ Imperatoris & Principum animos
ad mitiora in Religionis causa flexit consilia. Nam cum postridie
ejus diei, quâ Lutherus constantissimo presentissimoq; animo doctri-
nam suam confessus est, Imperator CAROLUS V. epistolam in Con-
cilium Principum misisset, quâ se Lutherum & socios proscripturum
esse minatus est, ea epistola diu multumq; fuit in Senatu Principum
disceptata, tandem tamen Luthero non modò fidem servandam, sed
neq; temerè damnandum esse censuerunt. Unde in pace incolumis
Wormatiâ dimissus, gloriâ Deo tribuit. Memorabilis quoque est pro-
tectio in mediis & flagrantibus minarum procellis, curata à sapien-
tissimo cautissimoq; Electore FRIDERICO III. Nam, cum octavâ die
Maji ejusdem anni, CAROLUS V. Imperator publicò decretò Luth-
erum proseripsisset, Elector ipsum redeuntem domum à fidis homi-
nibus ex itinere in arcem Wartenburg abduci & occultari jussit, donec
Cæsar ex Germaniâ abiisset, ne ob favorem erga Lutherum ipsi à ferven-
te juvene Imperatore intentaretur periculum, neq; Lutherus duri ali-
quid patiret. Factum id fuit feliciter, & hæsit in ista Patmo Lu-
therus multos menses: tamen otio non dedit ingrati solitudinis tem-
pus, sed ad Archiepiscopum Magdeburgensem, de privatarum Missa-
rû abrogatione, literas & libros misit, nihilq; magis Elector exopta-
set, quàm ut in illa diutius securitate suâ frui voluisset. Sed quid fit?
Lutherus noster ex tutissimo loco prorepsit, & huc Wittebergam re-
dit,

dit, in conspectum omnium suorum tam amicorum quam inimicorum, nulla expavescens pericula.

17.

Anno cl^o l^o XX. MARTINUS LUTHERUS omnes Wittebergensium Studiosos ad se convocavit, & in presentia multorum gravissimorum Virorum, Jus Pontificium atq; postremum Papæ decretum in cinerem redegit.

Quamprimùm enim certior factus Lutherus, propositiones suas Romæ publicò decretò templi foribus affixò condemnatas, tanquam errores pestilentissimos, & libros ipsius concrematos esse, damnationis sententia per Johannem Eccium & Hieronymum Aleandrum in Germania publicata; nec non Lovaniensem, Coloniensem, aliasq; Universitates Papales, Monasteria item & Episcopos scripta sua igne illuminasse; Ipse quoque, par pari referens, Juris Pontificii Libros cum Leonis X. Bulla adversus eum promulgata, convocatis ad hoc sacrificium Studiosis, Wittebergæ die 10. Decembris anno cl^o l^o XX. ante portam Elistri (Vor dem Elster-Thore) publicè extractò per Magistrum quendam rogò, itidem combussit, pronuntiatis inter alia hisce verbis: *Quoniam tu conturbasti Sanctum Domini, ideò te conturbet ignis æternus.* Postridie verò ordinariâ lectione absolutâ Auditores suos obnixè cohortatus est, ut diligenter sibi caverent à Decretis & Constitutionibus Romanorum Pontificum. Ediditq; deinceps breve aliquod scriptum, quò facti sui rationem reddidit. Non enim Lutherus id fecit in contumeliam aut Ictorum, aut Legum utilissimarum, quas Jus Canonicum complectitur, quasq; in Academiis, jussu Principum, utiliter conservant & explicant Doctores, sed in ignominiam Papæ, & detestationem impiorum Decretorum, quæ bonis legibus admiscuerunt.

18.

Anno cl^o l^o XXV. MARTINUS LUTHERUS nobilem quendam è sacris Virginibus, ut vocari solent, cui nomen erat Catharina à Born, in matrimonium duxit: scil. re & factò, quid de cœlibatu & interdicto Pontificis statueret, quo Clerici tot jam seculis adstringebantur, ostensurus.

Inopinatò quidem & liberrimâ Dei pronæ ita dirigente, castissimam hanc omniumq; virtutum ornamentis insignem virginem CATHA-

THA-

THARINAM ex nobili familiâ Misnicâ de BORN, aliquandiu etiam
monasticæ vitæ addictam, in matrimonium duxit, & propter ca-
lumniatorum impudentiam, omnium opinione citius in ædibus
L. Nicolai de Amsdorf, die Dominica Trinitatis, hora V. vespertina,
coram paucis amicis, sibi desponderi curavit. Die verò Jovis post Jo-
hannis Baptistæ nuptiales epulas instituit, sponsæq; in ædes suas de-
ductionem. In conjugio Lutherus se gessit ut pium maritum & fi-
delem patrem familias decet. Suscepit tres filios, Johannem, Mar-
tinum & Paulum: quorum primus Castra secutus est, secundus verò
& tertius professi sunt Medicinam. Unius quoque filia, nomine
Magdalena, mentionem facit Melchior Adami in vita Lutheri, quam
Patri ad cœlestem præcessisse vitam, ait, die 20. Septembr. anno
cl^o l^o XLII.

19.

Anno cl^o l^o XXVI. MARTINI LUTHERI consiliò inclutus Saxonie
Princeps Elector, JOHANNES FRIDERICUS, visitationem Ec-
clesiasticam in territorio suo instituit, Ministros doctrinæ vitæq; in-
corruptos ubiq; præficiens Ecclesiis.

In hac cum deprehensi Ecclesiarum quarundam agrestes Pastores
Catechismi prorsus ignari, laudatissimus Princeps agerrimè tulit, &
ut in posterum singulis concionibus Catecheticis publica Cateche-
sis lectio in terris suis præmitteretur, saluberrimè statuit. Idcirco
& Lutherus noster minorem atq; majorem Catechismum luculenter
scriptum edidit.

20.

Anno cl^o l^o XXX. indictis Augustæ Vindelicorum comitiis, MARTI-
NUS LUTHERUS jussu Electoris JOHANNIS FRIDERICI
summam fidei & doctrine Christianæ, quæ tum publicè in Ecclesiis
Saxonis sonabat, septendecim Articulis complexus est, ex quibus
postea enata Confessio, à Principibus Protestantibus Cæsari CAROLO
V. Augustæ exhibita.

Electorem autem Saxonis Augustam ad Comitiam profectus, Luth-
erum nostrum Coburgi reliquit, ut Augustæ vicinior de rebus omnibus
ad religionis negotiū spectantibus, facilius & expeditius consuli pos-
set. Crebris igitur literis & Principem & Theologos ac Consiliarios
Politicos erudivit, erexit atq; confirmavit Lutherus fideliter. De
multis.

multis controversæ doctrinæ partibus, & quid concedi Adversariis bonâ conscientia possit, ac imprimis de Traditionibus humanis, & de cultibus proprio arbitrio electis, conscientias optimè informavit; in obscuris & intricatissimis rebus quid maximè conducere, vidit. Hinc nihil vel in Reformatione Ecclesiæ Saxonicæ, vel Augustæ in Comitibus à Principe - Electore sine ejus consilio inchoatum vel susceptum vel confectum fuit. Memoratu dignissimum est, quod dum in his Comitibus Doctores Pontificii verba Christi in institutione S. Cœnæ: *Bibite ex hoc omnes*: unicè ad Clericos pertinere pertinaciter assererent; facetè æquè ac prudenter regesserit Elector JOHANNES FRIDERICUS: ergò & illud CHRISTI: *Vos mundi estis, sed non omnes*, etiam vobis tantum dictum erit. Deinde quoque Augustanæ Confessioni subscripsit, eandemque Carolo V. Imperatori die 25. Junii ejusdem anni, unâ cum aliis Imperii Germanici Proceribus obtulit, ejusque Apologiam per Philippum Melancthonem curavit adornari. Quò de argumento uti multa in Sleidano, Thuano, Chytræo, Osiandro, Cœlestino, Hortledero; ita singularia nonnulla in Sauberti Miraculis Augustanæ Confessionis occurrunt.

21.

Eodem anno MARTINUS LUTHERUS totum Reformationis opus, quod causæ gravitate & conscientia religiose confirmata ceperat, faustissimis successibus absolvit ac felicissimè perfecit.

Duodecim jam anni effluxerant à tempore susceptæ Reformationis, quibus doctrinæ sinceritatem è sacris literis satis perceperat, superstitiones & abusus detexerat, fidem illam, quam CHRISTUS ipse olim pronuncjavit, & Apostoli confirmarunt, eorumque successores tenuerunt, ab omni humano fermento immunem publicè tradiderat; cui præclaro operi publica Confessio, Augustæ Vindelicorum magnâ constantiâ Imperatori Carolo V. exhibita, veluti corona imposita est; ut omnes ubique religionem ob recuperatam puritatem ferentâ facie triumphantem intuerentur.

22.

Anno 1537. MARTINUS LUTHERUS, jussu Electoris JOHANNIS FRIDERICI, Smalcaldicæ controversos doctrinæ Christianæ Articulos elaboravit, qui hodie vocantur Smalcaldici.

Cum enim Paulus III, Pontifex alibi atque alibi Concilium indiceret,

ret, Elector Saxonicus JOHANNES FRIDERICUS, Smalcaldici Fœ-
deris socios, cum primi nominis Theologis die 25. Febr. laudato su-
perioris seculi Anno XXXVII. Smalcaldiam convocans, seriò monere
cœpit: *agerent prudenter, rem esse magni momenti.* Igitur commu-
ni societatis nomine controversos doctrinæ Evangelicæ conscribere
jussus est Articulus MARTINUS noster LUTHERUS, ut, si Conci-
lium procederet, constaret liquidò, quid & quatenus Pontificiis ce-
dere liceat, & in quibus capitibus perseverare constanter vellent E-
vangelici. Nati exinde doctrinæ Christianæ Articuli, vulgò à na-
tali solò dicti Smalcaldici, quos fœderata societas approbavit, ma-
gnaque excellentissimorum Theologorum manus confirmavit: id
quod ex ipsis Articulis, & celebris librorum Ecclesiæ nostræ symbo-
licorum Exegetæ B. Johannis Benedicti Carpzovii Commentatione
uberius patet. Cæsarei pariter Legati Matthiæ Heldi civilibus aq;
atq; Ecclesiasticis propositionibus in laudato conventu responsum,
& brevi post de repudiato Concilio Pontificio, tanquam minimè li-
bero, neque satis Christiano, & ob has, aliasq; causas dubiæ fidei,
scriptum publicum à fœderatis fuit editum. De Electore quoque
id singulariter est notandum, quod ad Lutherum ob corporis agridu-
dinem Smalcaldiæ decumbentem frequens inviserit, de ejus vitâ &
valetudine sollicitus, uxori liberisq; (si ad cœlestia Lutherum voca-
ret Deus) prospecturū promiserit, conceptis aliquando verbis sequen-
tibus usus: *Euer Weib soll mein Weib / und eure Kinder sollen meine
Kinder seyn.* Cumq; ingravesceret morbus, carpento suo Witte-
bergam curavit devehendum. Et sic quidem Lutherus Theologis
valedicens, cum jam reliquisset Smalcaldiam, retrò prospectans in
hanc memorabilem erupit formulam: *DEUS vos impleat odio Papæ ac
Satanae.*

23.

Anno c15 15 XLII. MARTINUS LUTHERUS disfidium bellumque
quod inter Electorem JOHANNEM FRIDERICUM & MAURI-
TIUM Saxonie Ducem instabat, opera ejus indefessa ac divina plane
ad usrumque Principē & Status Provinciales scriptâ dehortatione,
feliciter composuit.

Idque factum paulò ante Paschales ferias; exinde & belli Placen-
tarum (der Gladen-Krieg) nomen accepit, observante Dressero in
suâ

C

Isagoge Historica, Part. IV. fol. 448. Dissidii autem origo, quæ vulgò, sed falsò, contentioni ex aleæ lusu nato adscribitur, reverà sic se habet: Exarsit nempe hoc ipsum bellum ob Misnia civitatem Episcopali dignitate celebrem, Wurzenam, in quâ sibi & Elector & MAURITIUS jus colligendi tributi in Turcicum bellum impendendi arrogabant. Huc accedebat causa de Episcopatu Numburgensi, nam ab excessu Philippi, Comitis Palatini ad Rhenum, Ducisq; Bavariæ, qui & Episcopus Frisingensis & Numburgensis Episcopatus Administrator fuerat, in MAURITII gratiam, prætermisso Electoris consensu, Julio Pflugio, viro equidem antiqvæ nobilitatis ac reconditæ doctrinæ, at Pontificiis partibus addicto Collegium Canoniorum Episcopalem dignitatem contulerat. Hinc repudiato Pflugio, Elector JOHANNES FRIDERICUS Nicolaum Ambsdorsium nobili genere Theologum Wittebergensem, inaugurante Luthero, substituit. Atque hinc illæ lacrymæ: ac confestim Mauritius ad arma proclamabat. Et hunc quidem multi mirabantur eò vehementiæ progressum, ut, cui tam ipse, quàm Henricus Parens magnam fortunæ partem deberent, in eum tam funesta cogitaret. Sed procul à culpa inclutus Heros-Juvenis. Excitatus enim & tantum non compulsus fuit à Consiliariis, ex aulâ Patruï Georgii in suam receptis, qui Electori ob religionem Evangelicam erant infensissimi. Quod ipse Elector singulari epistola ad Mauritiū Ordines perscripta, proximè ante infaustum cum Cæsare ad Albim prælium, questus est.

24.

Anno cl. l. XLVI. mense Januario, proficiscebatur MARTINUS noster LUTHERUS Wittebergâ Islebiam, à Mansfeldicis Comitibus vocatus, ad componendas lites, inter ipsos de finibus & hereditate exortas: ibiqve moritur.

Non solebat quidem ejusmodi tractare negotia, & per omnem vitam suis tantùm studiis vacaverat, sed quia natus erat Islebiæ, non potuit hunc laborem & operam illis Comitibus atq; Patriæ non præstare. In itinere tenuiori uti valetudine cœpit, sed ut inde tamen metuere vitæ, non omninò haberet necesse. Vires interim minui & paulatim decrescere occultè visæ, & ex pectore imprimis laborabat; & quanquam intermittebat interdum dolor, ad postremum tamen vehementius institit. Die XVII. Januarii circa vesperam, ubi cùm peractâ

actâ coenâ, fufisq; ex more ad Deum precibus, acquieviffet paululum, expergifcenti instare visa mors, quâ ut exciperet paratus undiq; flexis genib; in hunc ferè modum supplicavit: *in tuas committo manus spiritum meum, redemisti me, aeternè DEUS!* Cum verò horam mortis prope esse deprehenderet, totum se Redemptori suo permittens, divinam imploravit sollicitè opem, confessionemq; suam, sub precum formulâ, ita edidit: *Deus, Pater mi cœlestis & Pater Domini nostri JESU CHRISTI, Deus omnis solatii, tibi ex animo gratias, pro manifestatione Filii tui, ex solvo meritas, in quem firmâ fide nisus, quem publicè confessus sum, à cujus cultu, ne latum quidem ungvem recessi, quem amplâ laude cumulavi, quemq; Papa Romanus & reliqua sceleratorum caterva, iniquis lancinat & insectatur contumeliis. Meam ut animulam, ô Jesu, ex hâc miseriarum valle, ad cœlestia traducas jubila, ex intimis cordis mei visceribus exopto! O Pater & corporis & animæ, planè confido, me, licet ex hoc mundo mihi discedendum, mortaleque corpus sit deserendum, me, inquam, perpetuâ cœlestis vitæ felicitate fruiturum esse.* Tandem, cum caput Johannis 3. & Psalmum 68. recitasset, animamq; suam tutelæ divinæ commendasset, beatam illam & de Ecclesia CHRISTI nostraq; omnium salute optimè meritam animam, Islebiæ, ipso Concordiæ Constantiæq; die, anno ætatis suæ LXIII. doloris expers Christo Servatori reddidit, & placidissimè expiravit. Nec sine magno, ut putant, omine, quasi nempè discedens LUTHERUS, concordiam & constantiam Doctorum in Ecclesia DEI secum abduxisse videatur.

25.

Eodem anno MARTINUM LUTHERUM Islebiæ in Patriâ beatè mortuum Wittebergam referri, atq; ibidem in Templo Arcis Cathedrali honorificè sepeliri jussit JOHANNES FRIDERICUS Elector Saxonicus.

Ut Lutherum nostrum vivum multi complexi, ita nec à morte quidem ab amore ejus divelli potuerunt. Mansfeldici siquidem Comites sanctæ animæ ex uvias in sua, unde originem traxerant, terrâ sepeliendas contendebant. Sed vicit Serenissimi SAXONIS Autoritas, qui ut Wittebergam referrentur, atq; ibi terræ honorificè mandarentur obtinuit. Delatum igitur huc exanime corpus, quinto post die in æde Arcis cathedrali, funus comitantibus omnium Ordinum viris matronisq; cum maximè solenni pompâ in sarcophago

C 2

stanneo

Anno sepultum est. Iuxta parentalia beatis Manibus exsoluerunt D.
 Bugenhagius & quò in vitâ utebatur intimè Philippus Melanchthon,
 qui iis temporibus principatum eloquentiæ facillè tenebat. Ad tu-
 mulum quoq; Elector JOHANNES FRIDERICUS effigiem æneam
 Lutheri formam affabre referentem, magnisq; sumptibus elaboratam
 ponere decreverat, quod bellò Smalcaldicò impeditò non fuit inte-
 grum. Quamobrem demum à Serenissimi Patris obitu per JOHAN-
 NEM WILHELMUM Saxonix Ducem anno cl^o l^o LXXI. Jenæ in
 templum Oppidanum, tanquam singulare cimelium & Academiæ ac
 Civitatis ornamentum, relata est. Ipsi etiam ab Academia Witten-
 bergensi honorificum epitaphium in templo omnium Sanctorum da-
 tum est, quod cum amor piorum expresserit, nullam habuit invidiam,
 magnæq; fuit gloriæ. In vicina tabula æneâ, muro inclusâ, & pro-
 pè in aliâ quadam ligneâ pictâq; tabulâ, Versus aliquot extant, quo-
 rum Autor dicitur Joannes Stigelius; circa finem sequentia leguntur
 verba: *Decesit. in. patria. sua. Eisleben. anno. à. natali. Christi. 1546. die*
Febr. 18. an. ætatis. suæ. 63. Academia. Wittenbergensis. ut. filia. Patri.
dilecto. F. C. & humi in ære talis visitur inscriptio sepulchralis:
MARTINI, LUTHERI. S. TH. D. CORPUS. H. L. S. E. XVI. ANNO.
CHRISTI. M. D. XLVI. XII. CAL. MARTII. EISLEBII. IN. PATRIA. S.
M. O. C. V. AN. LXIII. M. II. D. X. Sepulchrum autem ei structum
 fuit è regione summi Altaris, propè suggestum, è quo tot præclaras
 habuit Conciones

26.

Anno cl^o l^o XLVII. cum, captò jam Saxone, Witteberga se dedisset
Victori suo CAROLO V., ipseq; Cæsar visendi causâ Oppidum in-
gressus esset, Hispani in LUTHERI sepulchrum insultarunt, &
corpus ejus effodere atq; concremare voluerunt, sed ausu id non sunt.

Non tacenda hic loci pietas Cæsaris in sanctas B. Lutheri exuvias.
 Enim verò cum oculis animoq; quàm maximè intentis ejusdem con-
 templaretur sepulchrum, & Ferdinandus Albanus, Episcopusque A-
 trebatensis corporis effossionem atque concremationem operosè re-
 quirerent, *finite ipsum, inquit, quiescere usq; ad diem judicii omnium!*
addens insuper: non gero bellum cum mortuis. Et severè prohibuit, ne
 quis tumbam violaret.


27.

Anno cl^o l^o LIII. B. LUTHERI opera in certos tomos redigi cepta,
procurante Serenissimo Principe - Electore JOHANNES FRIDERI-
CO, sunt continuata.

Quanti JOHANNES FRIDERICUS Elector MARTINUM LU-
THERUM adamaverit, facile ex sectione XXV. aestimare licet. Ne-
que minus intelligemus ex praesenti. Ibi enim sancto ejus corpori
aeneum crexit monumentum; hic laborioso animo (ut cum D. Caspa-
re Sagittario loquamur) aere perennius exegit, regaliq; situ Pyrami-
dum altius, quod non imber edax, non Aquilo impotens, aut innu-
merabilis annorum series & fuga temporum poterit diruere. Nam
redux ex custodia JOHANNES FRIDERICUS nihil prius, nihilque
habuit antiquius, quam ut haecenus digesta Lutheri scripta per ope-
ras typographicas ad optatum finem perducerentur. Quem igitur
Lutherus noster praeclearis ornaverit elogiis, is vicem reddere Luthe-
ro per hanc ipsam operum editionem voluit. Commodum enim hic
succurrit lectissimum de Johanne Friderico Lutheri testimonium:
*En! (DEO sit laus) castum & honestum vitae cursum, os veridicum, manus
munifica, pectus Ecclesiarum, Scholarum, pauperumque diligens, sedu-
lum, constans atque fidum, in malorum vindictam, piorum tutelam. Huc
etiam referas, quod laudatissimus Elector Luthero annulum signa-
torium, insigne Lutheri, rosam scilicet cui crux inserta, referentem
ipse dono obtulerit. Et forte hic est annulus ille, qui Potentissimo
Electori JO. GEORGIO I. à pro nepote Lutheri oblatus ab ipso sum-
mè fuit aestimatus; sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Scripta Lutheri quod at-
tinet, ista tam utilia, tam praestantia, tamque necessaria sunt, ut o-
mnes quidem Status iisdem juvari, nullus verò illis carere queat. Et
quod tantò majus est, Patrum ac Theologorum omnium labores
adaequant, aut etiam transcendunt. Quam ob causam Andreas Ma-
sius, Papista, vir multae lectionis ac eruditionis, publicè fuerit pro-
fessus: plus esse Theologiae in uno Lutheri folio, quam interdum in toto
Patris alicujus libro. Varia autem Lutherus in lucem edidit scripta,
quorum si numerum spectes, πολυζήα φωτί τοις annumerandus. Sed
optimus maximusque ejus labor, quem unquam adhibuit in scriben-
dis libris, meritissimò suo laudatur & salutatur Bibliorum ex origi-
nali Lingva in vernaculam nostram Translatio, quam divinitus be-*

179
3359
nedictō studiō aggressus, sedulō continuavit, felicissimeqve ad finem perduxit. Opus sanè admirandum ob perspicuitatem & loquentiam singularem, ita ut hæc ipsa Versio plus lucis adferat Lectori, quàm pleriqve Commentarii. Prodiit illa, quæ vulgò vocatur Bibliorum editio prima, Wittebergæ anno 1534. altera verò, anno 1542.

Et tantum, ad recolendam MEGALANDRI LUTHERI memori-
am, ex gravissimis probatissimisque Autoribus protulisse sufficiat. Prolixiorem si quispiam desideraverit tractationem, hunc compotem voti sui reddent: Cyriacus Spangenberg in *Concionibus suis de vita Lutheri habitis in valle Mansfeldica*, Johannes Matthesius, qui complures annos in contubernio Lutheri vixit, & αὐτόπῳ ἡγε ἀυτῶ-
no & totam Lutheri vitam accuratissimè cognovit, in *Concionibus de Luthero*. Philippus Melanchthon, familiarissimus Lutheri amicus, in *sua de vita Lutheri Oratione*, quam utpote oculati & auriti plerorumque testis, ad eò fide dignam judicavit Clarissimus in *Baravia Historiographus*, Marcus Zuerius Boxhorn, ut eam, cum veritatis encomio, integram suo *Universalis Historiæ volumini* inseruerit. Matthias Hoë ab Hoëneg, in *Sancto suo Thaumasiandro & triumphatore Luthero*; Jo. Cont. Dannhavverus, in *memoria Thaumasiandri Lutheri renovata Argentorati 1661*. Jo. Christfrid Sagittarius in *præfat. ad Tom. X. Oper. Lutheri*, & in *ipsa Historia vitæ Lutheri, Altenburgensi Operum Lutheri editioni juncta*, Jo. Mullerus in *Luthero defenso*. Florus in *Panegyri. Luthero dicta, die Martini, an. 1617*. Addantur Dav. Chytræus, *Chron. Sax. l. 7*. Lucas Osiander *Hist. Eccl. cent. 16*. Jo. Gerhard. *Confess. Cath. l. 1. & 2*. Sleidanus *l. 16. & l. 19. Hist. it. Comm. de statu Relig. l. 1*. Thuanus *l. 1. Histor.* Isaacus Malleolus *dissert. de Genitura Luth. Argent. 1617*. Jo. Deutschman *disp. de Lutheri Ministerio VVitteb. 1665*. Jo. Frid. Mayer *disp. de Reformatione Lutheri, & de Indulgentiis, VVitteb. hab. ann. 1684. & 85*. Conferatur quoq; Narratio de morte Lutheri à Justo Jona, Mich. Coelio & aliis, qui interfuerunt, & seorsim edita & annexa *Tom. 8. Jen. circa finem p. 384*. De pompa funebri lectu non indigna notavit Balthasar Mentzius in *Syntagm. Epitaphior. VVittebergens. l. 1*. Quod restat, DEum optimum maximum jure veneramur omnes, ut, quoniam jam ante hos CXL. annos Lutherus mortalitatis communis lege subtractus nobis atq; ereptus est, doctrina tñ. ejus invicta perstet, quippe quam cum ipso humano genere perennare jubeat.



M.C.

m
m
m
m
ri-
at.
em
lu-
qui
ri-
de
eri
iti
fi-
io,
loë
Jo,
ata
er,
eri
u-
on,
fess.
l.l.
Lus
it-
en-
orte
sim
ctu
it-
era-
rta-
tn.

ULB Halle 3
004 957 024



VD 17





Und wollen a
Mit dir

Quis, LUT
Scriptum
LUTHERI, G
Quondam.
Commendat
Vitam comm
HEROIS.
Gratam forte
FAUTOR, P

MARTI
Ten
Progenitori
Vestig
Condecet.
Mem
Virtutes re
Prodi

en/
seyn.
ar von vlesen
en-Orden
nt
achtete.

L. Cæs.
or, & Illustr.
ldictus.

er/ Cygn.
ab, ConR.

